# JACOB BALDE — PAEAN PARTHENIUS (462 vers)

PAEAN PARTHENIUS sive HYMNUS IN HONOREM SS. URSULAE ET SOCIARUM EIUS virg. et mart. a R. P. JACOBO BALDE e SOCIETATE JESV scriptus, et SENATUI POPULOQ. COLONIENSI inscriptus. Coloniae Agrippinae, Apud Joannem Busaeum Bibliopolam Anno M.DC.LXIV. Cum Facultate Superiorum

P1
Quis meum, vel quae, meum cor
aurea ferit sagitta ?
Una, sive figat unus ?
Sentio Caeleste vulnus.
Ter beata Virgo, salve,
orta Regibus Britannis, dicta Laurus Ursula.

P2
Caeteras privata Divas
una tantum vexit unam,
intulitque cymba Caelo :
Tu marinas per procellas,
lacteos, Regina, campos
siderum sublimis intras Undecim cum Millibus.

P3
Illa, quae vocatur Argo,
prima fabulosa navis,
inter astra collocata ;
fluctibus vanescit hausta.
Cujus in locum recepta,
veriore fulget auro sacra navis Ursulae.

P4
Disputent, quicumque fixas
alligant in axe stellas,
aere firmantes Olympum :
navigat Britanna Virgo
classe tota, cedit Aether.
Tollitur carina sursum. Sanctus afflat Spiritus.

P5
Ventus hic est optimorum
artifex Etesiarum.
Jamque supra Solis Orbem,
et planetas altiores.
Regiae Triremis arbor,
elevata cum Puellis, inter astra fulgurat.

P6
Quis neget liquere Caelos ?
Fusiles cessere divis :
sicut unda scissa remis.
Martyrum felicitati

5 praemium debetur istud :
6 fortiterque vindicatae Castitatis Baltheo.

P7 v.1 Trux adest obsessor Hunnus,
2 Ubios, Rhenumque vastans.
3 Aspicit lascivus hostis
4 vela, formosamque praedam.
5 Haec repugnat : et procaci
6 ac minanti dira, se se praebet intractabilem.

P8 v.1 Ursulam circum sodales
2 infremunt, optantque mortem.
3 Illa princeps ante signa
4 vadit, ordinatque turmas.
5 Illa dictis atque factis
6 instruit ; docetque vitam pro Deo contemnere.

P9 v.1 Ludimur : tyrannus inquit.
2 Ocius nos vindicantes
3 Martis expedite nervos.
4 Dixit. Hinc et hinc aduncis
5 grandinat, pluitque, cannis.
6 Arva sternunt innocentes pro pudore victimae.

P10 v.1 Ista telum corde fixum,
2 haec papillis, illa mento
3 gestat : haec momordit ore.
4 Pars securi colla praebent.
5 In veruta pars acuta,
6 pars micantes in sarissas irruunt, et lanceas.

P11 v.1 Integras in tela silvas
2 Barbarus consumpsit arcus.
3 Quo graves laxante ramos,
4 surgit indigesta caedes :
5 funebres surgunt acervi :
6 ceu metantur fusa late falce prati germina.

P12 v.1 Forte, dum furore praeceps
2 longius bacchatur Hunnus ;
3 armiger Giula dictus,
4 Ursulam tuetur ipsam,
5 dextera crucem tenentem :
6 illico concussus haeret ; et manus fit plumbea.

P13 v.1 Captus elegante forma,
2 luminum vigore raptus,
3 desidem remittit arcum.
4 Et placent faces genarum :
5 et placet pruina frontis :
6 inque pulchri fixus oris sistitur miraculo.

P14 v.1 Aestuat, suspirat, ardet :
2 incipit, blanditur, audet.
3 O decora ! Qualis Eos
4 luteo colore grata,
5 et renidens, mane prodit :
6 cum croco, rosisque pingit prima lucis atria.

P15 v.1 Seu Diana, sive Pallas,
2 sive vis utrumque dici.
3 Talis est, quae Patre solo
4 nata, libris jungit hastam.
5 Talis est, quae fonte lota,
6 post quietem, cum Molossis celsa lustra Maenala.

P16 v.1 Quid, venusta, militamus ?
2 Error est, ignosce nobis.
3 Paenitet strinxisse ferrum.
4 Muto mentem. Pono tela.
5 Me Cupido sauciavit.
6 Procido, tuumque supplex ambio connubium.

P17 v.1 Substitit virago, torvum
2 (et decebat ira) ridens :
3 "Me putas curare taedam,
4 quam tepens favilla solvit !
5 Me viri mortalis ulnas !
6 Aut torum ferocis Hunni, seu cubile barbarum !

P18 v.1 Alteri devincta Sponso,
2 digniori, ditiori ;
3 unico devota Christo,
4 pulchriori, mitiori ;
5 has nives intacta servo :
6 integri florem pudoris, cingulumque pectoris.

P19 v.1 Nec minis, nec arte flector.
2 Spes inanes, Gotthe, pascis.
3 Nuptias detestor omnes.
4 Vim minorem duco leti.
5 Tende contra : confer arma.
6 Christianam, non profanam, senties Amazonem."

P20 v.1 Ergo versus in leonem
2 contumax Giula saevit.
3 Bisque concussit pharetram :
4 et sagitta jacta duplex
5 brachium potenter una,
6 una cor transverberavit Numinis signaculum.

P21 v.1 Emicat, sinumque rumpit
2 sanguis exundante rivo.
3 Labitur defecta cervix :
4 luminumque gemmeorum
5 pressa leto languet uva.
6 Sic ebur rubescit ostro : splendet humor lacteus.

P22 v.1 Classico novo tonante,
2 sternitur, quodcumque vernat.
3 Exserit se viva Virtus.
4 Nulla vult postrema dici,
5 crederes mori Camillas.
6 Nulla cessit inter omnes, praeter unam Cordulam.

P23 v.1 Quin et haec reversa pulso

2 rettulit timore palmam.
3 Quin et haec superbit alto
4 ire victrix in triumpho :
5 cuspidisque monstrat ictum,
6 aggregata, juri belli, caeteris Sodalibus.

P24 v.1 Tunc io, tunc Alleluja,
2 aetheris concentus alti
3 personare visus auras.
4 Nube subter defluebat
5 nimbus ingens laurearum.
6 Canduitque totus aer, ceu ligustris ningeret.

P25 v.1 Quot puellae conciderunt ;
2 tot rosae, tot liliorum
3 virgulae coepere nasci.
4 Ipsa Tellus ante glauca,
5 caerulisque mollis herbis,
6 jam novas Sidoniarum sparsa vestes induit.

P26 v.1 Fluctuat cruore Rhenus,
2 et rubet, candore misto.
3 Sanguinis restagnat imber.
4 Perque funerum catervas
5 spumat altus ire torrens.
6 Fusa venis, casta totum tinxit aequor purpura.

P27 v.1 Percitas stupore multo
2 corniger retorsit undas.
3 Et caput bis, terve quassans,
4 post arundines recinctas,
5 insulae molitus oram,
6 vitreum suos sub antrum sevocavit gurgites.

P28 v.1 Ligna, quae frondosa circum,
2 colliumque, valliumque ;
3 voce, mirandoque saltu
4 se movere visa, laetos
5 sicut haedus inter agnos :
6 arboresque in serta pronae flexerant fastigia.

P29 v.1 Ede : cur, Jordanis instar,
2 Rhene, versus es retrorsum ?
3 Cur arundines recingis ?
4 Dumque ripas pervagaris ;
5 insulae molitus oram,
6 vitreum tuos sub antrum sevocasti gurgites ?

P30 v.1 Ligna cur frondosa circum,
2 vosque colles, sicut haedi,
3 exul- inter -tastis agnos ?
4 Scilicet, novi triumphi
5 insolens, nec ante visum,
6 stagna, silvas, antra, montes impulit spectaculum.

P31 v.1 Interim fugantur Hunni.
2 Castra vis Divina pulsans
3 Panico terrore complet.

4 Ceu repens cometa visus :
5 aut nigris permista nimbis,
6 caeca, mugiente caelo, torqueantur fulmina.

P32 v.1 Turbido perculsus oestro
2 digredi festinat Hostis.
3 Manibus, larvisque plenus,
4 qua potest, abire tentat.
5 Luctus, et Furor sequuntur.
6 Terga vertit : horret amens : stridet atris dentibus.

P33 v.1 Liberata pandit omnes
2 civitas effusa portas :
3 totque florum luculenta
4 candidorum strage visa ;
5 gaudium, fletumque miscens,
6 Martyrum famosa curam suscipit colonia.

P34 v.1 Ter, quaterque Terra felix !
2 quae bibit tantum cruoris,
3 corporum decreta custos,
4 Caesaris quam Mater alma
5 struxit Agrippina, gaude,
6 urbs Honoris et decoris, nobilis colonia.

P35 v.1 Urbs amoeno longa tractu :
2 flumini commensa magno.
3 Artium fecunda nutrix :
4 clara fastis, plena templis :
5 quae tuo complexa servas
6 ambitu, sunt invidenda, cuncta pene regia.

P36 v.1 Tres Sabaeos namque reges
2 possidere te, vetustas,
3 testium firmata signis,
4 pinnipesque Fama jactat.
5 Lipsanis accessit istis
6 Ursulae Regale Pignus, undecim cum millibus.

P37 v.1 Urbs fidelis Ubiorum :
2 mordicus Romana scita
3 rettinens, Petrique claves.
4 Nullus inquinavit error :
5 nullus in te serpsit umquam
6 Cancer : haeresimque spargens pura laesit ubera.

P38 v.1 Digna ferre Tres Coronas :
2 fers adhuc quae Virginale
3 fontis illibata sertum.
4 Digna, quam tot inclytarum
5 Virginum profusus olim
6 rite sanguis consecravit, Undecim cum Millibus.

P39 v.1 Fallor ? An levatus ala
2 mentis abreptae volatu
3 deferor, quo vota tendunt ?
4 En, dehiscit Parthenonis
5 Aula praesens : et, severo

dulce quod coruscat auro, panditur sacrarium.

P40
O ut hoc conclave fragrat !
Conditorium piarum
Virginumque, Martyrumque.
Quos odores hinc aperta
castitas diffundit ara !
Verius beata Tempe, quam sepulchra dixerim.

P41
Virginum salvete flores :
quos remotos Orbe nostro,
sed rigatos rore Caeli,
et tepore flantis Austri,
Angliae, vel Angelorum
cultus educavit hortus : messuit victoria.

P42
Nympha, Nymphae ; Sancta, Sanctae ;
Virgo, Virgines colendae !
Vos precor per ossa vestra,
quotquot hanc ornatis aedem :
Fata mitigate dura :
supplices fovete cives : cernuos attollite.

P43
Tuque (si mutetur omnis
in sonos, et ora Laurus ;
cuncta fiant astra linguae)
non satis canenda, nostris
applica clementer aures
cereas amica votis, omnium dux Ursula.

P44
Virgo, vere Virgo prudens.
Tu facis non quinque tantum
obviam venire Christo :
sed vigil majore pompa,
dum fores patent apertae,
agmen occursura ducis Undecim cum Millibus.

P45
Ex olivis copiosa
mysticis Minerva stillans,
in sacros aptatur usus,
lucidam factura noctem.
O quot ignes, quot pyropi,
o quot ardent absque fungis praeparatae lampades !

P46
Fit sonus. Stellata cedunt
splendidis convexa Turmis.
Curritur, stupente Luna,
quid sacer velit tumultus.
Jamque Sponsus ecce prodit.
Comiter salutat omnes, noctilucas Virgines.

P47
Tum ferire plausus Aulam.
Tum sagittas, atque plagas
ex amore suaviari.
Ducitur formosa late
per novem Choros Chorea.
Barbitis resultat Aether : una vox, Thalasius.

P48 v.1 Tum caput fragrare nardo :
2 tum manus stillare myrrham :
3 tum madere mensa vino.
4 Trinus unus est racemus ;
5 unde manat juge mustum :
6 quod propinat nuptiale Canticorum Canticum.

P49 v.1 Digna toto vere spargi,
2 quale summi Regis Hymen
3 scripsit, obtulitque Sponsae
4 solis a calore nigrae.
5 Illa vulneravit uno
6 crine Colli : tu sagittis, tu capillis omnibus.

P50 v.1 O ut Orbe, Diva, toto ;
2 qua recens Aurora surgit ;
3 qua fretum Sol fessus intrat ;
4 tot Sodales te sequantur
5 ad vocantis limen Agni :
6 fertilis quot delicatos pascit agnos Anglia !

P51 v.1 Luciam Sicana Tellus,
2 Costidem Pelasga praefert.
3 casta Romae floret Agnes.
4 Abulam Teresa clarat.
5 Ursulam nos invocamus.
6 Tu Voluptas Ubiarum, tu Corona Virginum.

P52 v.1 Ursulae puella nomen
2 ferre cum parente gaudet.
3 Ursulae Juventa palmas
4 tibiis, lyrisque cantat.
5 Si tacerent ora vatum,
6 saxa, rupes, et canora non tacerent littora.

P53 v.1 Gens tibi togata servit :
2 Cum stola praetexta plaudit :
3 inque cunis parvus infans
4 Ursulae trophaea lambit.
5 Candidati pusiones
6 pensilem balbutiente voce bullam consecrant.

P54 v.1 Mille laudibus sonari,
2 te viator in plateis,
3 in foro mercator audit.
4 Perque campos, perque silvas,
5 aesculi jacens sub umbra
6 Pastor inflat : cumque canna laetus offert eclogam.

P55 v.1 Quidquid hanc illustrat Urbem ;
2 jam tibi dicavit olim
3 cana majorum potestas :
4 tecta, muros, Curiamque,
5 jura, fasces et secures,
6 tu Decus gravis Senatus, Consulumque Gloria.

P56 v.1 Hinc quotannis omnis aetas,
2 strenuus tenerque sexus ;

3 cum redux October instat ;  
4 ad tuam decenter aram  
5 dona figit, et tabellas :  
6 sacra concrepante fumant thure pulvinaria.

P57 v.1 In tuos imago vultus  
2 multiformi transit arte.  
3 Nunc in aere, nunc in auro,  
4 osculis libanda fulges.  
5 Nunc acu ducente fila,  
6 nunc Rubeni penicillo pingeris vivacius.

P58 v.1 Huc ades tutela praesens :  
2 palliumque purpuratum  
3 Explica super clientes.  
4 Te penes stat summa rerum.  
5 Esto nostrae civitati,  
6 quod suae Juditha victrix extitit Bethuliae.

P59 v.1 Eia Dulcis, eia Nostra,  
2 nos tuere : proque Rheno,  
3 fortis Heroina, certa :  
4 et tuis instructa telis  
5 masculum defende flumen.  
6 Nemo decoloret undas, quas cruore tinxeras.

P60 v.1 Si minax insultet Ister,  
2 evomatque rursus Hunnos,  
3 ad scelesta bella pronos ;  
4 si quis alter ab nivali  
5 axe tentet arma Triton :  
6 pone frena fastuosis : alta tunde cornua.

P61 v.1 Insuper vovemus ista,  
2 sit salubris et serenus  
3 aeris te propter haustus,  
4 pelle morbos : vim repelle :  
5 maesta mulce : laeta misce :  
6 adque portum plena nostrae vela navis dirige.

P62 v.1 Tuta, fac, contingat olim  
2 Angliae caelestis oras.  
3 Da dolos, opesque Mundi,  
4 da trucem vitare ventum,  
5 qui tumore pectus inflat,  
6 plus nocet fremente Cauro Spiritus Superbiae.

P63 v.1 Divitum subinde Syrtes,  
2 (nempe flaventes arenas,  
3 aurifer quas volvit Hermus)  
4 prora praetervecta vitet.  
5 Quo metalla fulva terrae !  
6 Congerit majora gemmis lucra, quisquis spreverit.

P64 v.1 Scylla restat et Charybdis  
2 sobrio vitanda nautae.  
3 Ne Gulae voracis ore  
4 hauriamur, claude fauces

5 os Averni ; fossa nullis
6 cladibus replenda, nunquam divis Orcus, sufficit.

P65 v.1 Sicubi latens reductis
2 excubat pirata claustris :
3 seu novus Giula raptor,
4 seu Charon, infernus hospes :
5 Perde lembum cum Giula :
6 merge cymbam cum Charonte protinus sub Tartara.

P66 v.1 Sicubi balaena, cujus
2 turpis alvus stringit amnes,
3 et Stygem squamosa verrit ;
4 irruat, puppimque cauda
5 verberans immane quasset ;
6 ne sinas perire captos : sed barathro subtrahe.

P67 v.1 Tum Venus, marisque spuma,
2 (unde nata duxit ortum)
3 stante conquiescat alto.
4 Si ciet Libido venas,
5 improboque fervet aestu :
6 Cyprios tranquilla fluctus temperet malacia.

P68 v.1 Nulla Siren, Carnis illex,
2 noxio blandita cantu
3 remigum moretur aures.
4 Quae tibi votiva cera
5 multiplex offertur, illa,
6 ne periclitentur, aures, Virgo, nostras obstrue.

P69 v.1 Desinat Cupido Matris
2 missiles vibrare flammas.
3 Virginis nos figat Arcus,
4 Iridis decore pulcher :
5 Unde Pacis signa rorant.
6 Ure sacro, fige dulci Cor Amoris spiculo.

P70 v.1 Heu mihi ! tenebricosae
2 quale noctis involucrum.
3 Incubat caligo densa.
4 Astra condit atra nubes.
5 Sol recessit. Turbo saevit :
6 pugnat Eurus, unda surgit : et fremunt Ceraunia.

P71 v.1 Exigit vindicta poenas,
2 imminet tremendus ultor.
3 Eia Dulcis, eia Nostra,
4 perditis succurre rebus.
5 Te vocat celeusma notum,
6 Ursulam clamamus omnes Undecim cum Millibus.

P72 v.1 Frange tempestatis iram :
2 Numinisque concitati
3 mitiga justum Tridentem.
4 Astra reddat pulsa nubes.
5 Ponat Eurus : turbo cesset :
6 sidat unda : lux reversa, Mensque pura rideat.

P73

Qui novum retexit Orbem,
ima navium Columbus
Indico librasse ligno,
aut eburno dente fertur.
Nos gravamus saepe, vili
merce, dentibus caninis, criminumque pondere.

P74

Hinc timores, ni levemur,
pressa succumbet carina,
eia Dulcis, eia Nostra,
admove manum gementi.
Tolle funebrem saburram :
ut Beatae, qua potiris, litus intret Insulae.

P75

Sidus est sagitta quaedam,
hanc sequamur praevolantem.
Haec Polus : non Ursa Major.
Ursulae quamvis minorem
juverit spectare Stellam.
Certior tu, Virgo, magnes : et salutis anchora.

P76

Sic in ista lacrymarum
valle decurramus aequor
mortuum, declive, salsum.
Mors ubi dolensque vita
dividunt alterna regna.
Transfer ad mansura regni nos perennis gaudia.

P77

Quisquis hanc conscripsit Oden
aurei mucrone teli :
quisquis hunc cantabit hymnum
ore casto, corde puro :
in suprema Mortis hora,
huic Patrona mitis adsis, Undecim cum Millibus.